

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XLV. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.151rb-152vb)

Et accedentes discipuli eius, dixerunt ei. Propter quid in parabolis loqueris eis? Ipse autem respondens dixit eis, quoniam uobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem, non datum est.

Commented [ND1]: [fol.151rb]

Dignum est ammirari discipulos, qualiter et cupientes discere, noscunt quando interrogare oportebat. Non enim in omnibus hoc faciunt, et hoc ostendit matheus dicens. Et accedentes. Et quoniam non coniectura est quod dictum est marcus id manifestius representauit dicens, quoniam singulariter accesserunt. Hoc utique et fratres eius fecisse, et matrem oportebat, et non uocare extra, neque ostendi. Intuere autem eorum et dilectionem, qualiter multam pro aliis faciunt curam. Et prius quae illorum sunt querunt, et tunc quae sui ipsorum. Propter quid enim ait, in parabolis loqueris eis? non dixerunt propter quid in parabolis loqueris nobis. Etenim et alio apparent amicabiliter ad uniuersos dispositi, ut cum dicant absolue turbas, et quoniam nouisti quoniam scandalizati sunt. Quid igitur christus? Vobis datum est ait, nosse mysteria regni caelorum, illis autem, non datum est. Hoc autem dixit, non necessitatem inducens neque sortem quandam simpliciter, et ut contingit effectam. Sed monstrans eos uniuersorum causam existentes malorum. Et representare uolens quoniam donum, hec res est liberum arbitrium destructum est et hoc ex his quae deinceps sunt, manifestum est. Vide denique qualiter, ut neque illi diffidant neque hii pigritentur audientes quoniam datum est monstrat a nobis principium existens. Quicumque enim habet ait, dabitur ei, et superhabundabitur. Quicumque autem non habet, et quod habet, leuabitur ab eo. Et multa quidem incertitudine plenum est quod dictum est. Ineffabilem autem iusticiam ostendit. Quod enim dicit tale est. Cum aliquis desiderium habuerit ait et studium, dabuntur ei et uniuersa quae a deo sunt. Cum autem his uacuuus fuerit, et quae a seipso fuerint non inferat, neque quae a deo sunt, dantur. Etenim quod habet ait, leuabitur ab ipso. Non deo leuante, sed non dignum faciente eum, his quae sua sunt. Hoc et nos faciamus, cum uiderimus aliquem audientem desidiose, et multum deprecantes attendere, non persuaserimus, sileamus iam. Si enim immorati fuerimus, intenditur ei desidia. Studentem autem discere allicimus, et multa effundimus. Et bene dixit, et quod uidetur habere. Neque enim hoc ipsum habet. Deinde et manifestus quod dixit, fecit, monstrans quid est ei qui habet dabitur, ab eo autem qui non habet, et quod habet leuabitur ab eo. Propter hoc ait, in parabolis loquor eis, quoniam uidentes non uident, et audientes non audiunt neque intelligunt. Quo circa aperire ait oportebat eius oculos si non uident. Sed si quidem naturae haec excaecatio esset, aperire oportebat. Quia autem uoluntaria, et spontanea haec excaecatio est. Propter hoc non dixit simpliciter non uident, sed uidentes non uident, quare eorum pernitiei est haec excaecatio. Viderunt enim et demones exeuntes, in beelzebub principe demoniorum proicit demonia. Audierunt deo me afferentem eos, et multam ad eos ostendentem bonam uoluntatem, et dicunt quoniam non est hic a deo. Quia igitur contraria his quae uidebant, et his quae audiebant enuntiabant, propter hoc ait, et audire ab ipsis aufero, nichil enim eis hinc plus sit, sed et iudicium maius. Non enim solum non credebant, sed et increpabant, et accusabant, et insidiabantur. Sed non dicit hoc. Non enim uult esse grauis, accusans, quare a principio, non ita eis loquitur, sed cum multa certitudine. Quia autem peruerterunt seipsos, in parabolis iam

Commented [ND2]: uel ante omnes add. super lin.

Commented [ND3]: et gratia desuper data. Non tamen quia donum, propter hoc notum in marg.

Commented [ND4]: [fol.151va]

Commented [ND5]: [fol.151vb]

Commented [ND6]: apertione add. super lin.

loquitur. Deinde ut non estimet aliquis, accusationem nudam esse ea quae dicuntur, neque dicant quoniam inimicus noster existens, haec causatur et detrahit, et prophetam inducit eadem cum eo calculantem. Completur enim in eis ait, prophetia quae dicit, auditu audietis et non intelligetis, et uidentes uidebitis, et non inspicietis. In crossatum enim est cor populi huius, et auribus suis grauiter audierunt, et oculos suos clausurunt, nequando uideant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et conuertantur, et sanem eos. Vides et prophetam cum hac diligentia accusantem? Neque enim ipse dixit quoniam non uidetis, sed uidebitis et non inspicietis. Neque enim non auditis, sed quoniam audietis, et non intelligetis. Quare ipsi sibi ipsi abstulerunt, primum aures, et oculos claudentes, cor in crossantes. Non enim solum non audiebant, sed et grauiter audiebant. Fecerunt autem hoc ait, nequando conuertantur et sanem eos. Intensam dicens eorum nequitiam, et auersionem quae est cum studio. Et hoc dicit attrahens eos, et prouocans, et monstrans quoniam si conuerterentur, sanarem eos. Quemadmodum si aliquis diceret nolumus uidere, et gratiam habeo. Si enim rogatus essem confestim daturus eram. Hoc autem dicit ostendens qualiter permutaretur, ita utique et hic ait, nequando conuertantur et sanem eos. Monstrans quoniam et conuerti, possibile est, et paenitentiam agentes est saluari et quoniam non in suam gloriam sed in illorum salutem uniuersa faciebat. Si enim nollet eos audire et saluari, silere oportebat, non in parabolis dicere, nunc autem in hoc ipso monet eos, in obumbrata dicendo. Deus enim non uult mortem peccatoris, sicut conuerti et uiuere eum. Quoniam enim non naturae sunt peccata, neque necessitatis et uiolentiae, audi quid ait ad apostolos. Vestri autem beati sunt oculi, quoniam uident, et aures uestrae quoniam audiunt. Non hunc dicens uisum, neque hunc auditum, sed eum qui est a mente. Etenim et hii iudei erant, et in eisdem nutriti, sed tamen nichil nocumenti attraxerunt a prophetia, quia radicem bonorum habuerunt bene dispositam id est electionem et consilium. Vides quoniam uobis datum est non necessitatis fuit? Neque enim utique beatificati essent, nisi eorum esset haec directio. Ne enim michi hoc dicas, quoniam manifeste dictum est. Poterant enim et temporanee accedere, et interrogare quemadmodum discipuli, sed noluerunt pigri existentes et desides. Quid dico noluerunt? immo et contraria faciebant. Non solum enim non credebant, neque solum non audiebant, sed et impugnabant, et ualde in delectabiliter habebant ad ea quae dicebantur. Quod et prophetam inducit accusantem, indicendo, grauiter audierunt. Sed non discipuli tales. Ideoque beatificauit eos, et aliunde eos certificat rursus dicens. Amen dico uobis, quoniam multi prophetae et iusti cupierunt uidere quae uidetis et non uiderunt, et audire quae auditis et non audierunt. Presentiam meam ait, miracula ipsa, uocem, doctrinam. Hic enim non corruptis his, sed et his qui direxerunt, eos proponit. Etenim et illis beatores eos esse ait. Quid utique est hoc? quoniam non solum quae iudei non uiderunt, uident hii, sed quoniam et quae illi cupierunt uidere, et non uiderunt. Illi enim fide solum considerauerunt, hii autem, et uisu, et multo manifestius. Vides qualiter rursus uetus testamentum copulat nouo? monstrans non solum illos scisse futura, sed et ualde cupiuisse. Non autem si alieni cuiusdam et contrarii dei essent, cupiuisent. Vos igitur audistis parabolam eius qui seminat ait. Et dicit quae antea nobis dicta sunt, quae de pigritia et studio, quae de timore et fortitudine, quae de pecuniis, et repudiatione possessionis, monstrans iacturam quae inde est, et utilitatem que hinc est. Deinde, et uirtutis differentes inducit modos. Filanthropus enim id est amator hominum existens, non unam sternebat uiam. Neque dixit, nisi aliquis centum fecerit, hoc est uirtutis perfectum opus, cecidit, sed et qui sexaginta facit, saluatur, et non hic solum, sed et qui triginta. Hoc autem fecit, facilem construens salutem, omni uolenti saluari, et non in diffidentiam uenire.

Commented [ND7]: *condempnantem add. super lin.*

Commented [ND8]: *reconciliaretur add. super lin.*

Commented [ND9]: [fol.152ra]

Commented [ND10]: [fol.152rb]

Et tu itaque non potes uirginitatem custodire? nube sobrie. Honorabiles enim sunt nuptiae, et lectulus in contaminatus. Huic apponaris, et ne illarum cupidinem habeas. Fornicatores enim et adulteros iudicabit deus. Non potes repudiare possessiones, non fers illud honus? partire cum christo quae existunt tibi. Da ex his quae sunt tibi indigentibus et ne iniusticiam facias pauperibus. Non uis ei cedere uniuersa? saltem semissem, saltem terciam prebe partem. Frater tuus est et coheres, fac eum hic et coheredem. Quantacumque illi dederis, tibi ipsi dabis. Dator enim est omnium bonorum. Non audis quid ait propheta? Proprios seminis tui ne despicias. Si autem cognatos despiciere non oportet, multo magis dominatorem, cum dominatione, et cognationis iusticiam habentem. Etenim et partitorem suum te fecit. Nichil a te accipiens, sed et incipiens ineffabile hoc beneficium. Qualiter igitur non ultimae amentiae est neque dono hoc fieri nos filanthropos id est amatores hominum neque retributionem pro gratia dare, et minora pro maioribus. Ipse enim te caelorum heredem fecit. Tu autem de his quae dedit tibi in terra, non das ei. Ipse te nichil dirigentem, sed et inimicum existentem permutauit. Tu autem neque amicum tuum existentem, et benefactorem, remuneras. Quamuis ante regnum, et ante alia uniuersa, et ipsius dationis, dignum esset gratiam habere ei. Etenim famuli dominatores ad conuiuium uocantes, non prebere sed accipere donum estimant. Hic autem contrarium factum est. Non enim famulus dominatorem, sed dominator famulum, primus uocauit ad suam mensam. Tu autem neque postea uocas, primus te in idem secum tecum introduxit, tu autem neque secundus, nudum existentem te circumciciuit, tu aut neque postea peregrinum existentem conducis. Primus tibi potum dedit sui ipsius calicem, tu autem neque de frigida das. Potum dedit tibi spiritum sanctum, existenti digno pena. Tu autem et sitientem despicias, et haec facis quae eius sunt, uniuersa haec facturus. Non enim magnum estimas, quoniam calicem detinere habes ex quo bibiturus est christus, et allaturus ori? Non uides quoniam sacerdoti solum fas est sanguinis calicem prebere? Ego autem nichil pro his diligenter perscrutor ait. Sed etsi ipse prebueris, accipio. Etsi laicus fueris, non rennuo, et non expeto qualem dedi. Non enim sanguinem peto, sed frigidam aquam. Excogita cui potum das, et horresce. Excogita quoniam per helemosinam sacerdos christi efficeris. Tu propria manu das, non carnem sed panem non sanguinem sed frigida aqua calicem. Induit te uestimentum salutare, et induit te per seipsum, tu autem uel per puerum indue nudum fratrem tuum. Fecit te gloriosum in caelis, tu a frigore et nuditate, et in deformitate erue. Fecit te ciuem angelorum, tu saltem de tecto, da solum saltem ut famulo tuo da domum, non auerto hoc tugurium. Et hoc cum tibi caelum aperuerim uniuersum, erui te a custodia difficillima? ego hoc non expeto, neque dico erue me. Sed si uideris me solum ligatum, et ingemueris, sufficit hoc solum ad mitigationem michi. Mortuum te existentem suscitaui, ego a te hoc non expeto, sed dico, uisita solum infirmantem. Cum ergo ita sint quae data sunt magna, et multum leuia quae expetuntur, et neque haec prebcamus, quanta non utique erimus digni gehenna? decenter in ignem abimus, qui paratus est diabolo et angelis eius, petra existentes insensibiliores. Quante enim non exit insensibilitatis dic michi, tanta accipientes, tanta accepturos, pecuniarum esse seruos, a quibus parum postea desistemus et nolentes. Et alii quidem, et animam suam tradiderunt, et sanguinem suum effuderunt. Tu autem neque super flua premitis pro caelis, pro tantis coronis. Et quali utique dignus eris uenia, uel quali excusatione, in semine quidem terrae omnia premitens, et in mutuando hominibus in nullo tibi parcens, in nutriendo autem tuum dominatorem per eos qui indigent, crudelis et inhumanus existens? Haec igitur uniuersa excogitantes, et intuentes quae accepimus, quae accepturi sumus, quae petimus studium omne, in spiritualibus demonstramus. Fiamus aliquando mansueti, et filanthropia id est amatores hominum, ut non intolerabilem uindictam super nosipos atrahamus. Quid enim nos non sufficiens est condempnare, tantis frui, nichil magnum peti hoc, tanta peti, quae et nolentes

Commented [ND11]: Morale lxx. de helemosina *notum in marg.*

Commented [ND12]: immoreris *add. super lin.*

Commented [ND13]: ei *add. super lin.*

Commented [ND14]: uel familiares *add. super lin.*

Commented [ND15]: uel reconciliatus est *add. super lin.*

Commented [ND16]: [fol.152va]

Commented [ND17]: uel qualiter *add. super lin.*

Commented [ND18]: promittis *add. super lin.*

Commented [ND19]: [fol.152vb]

Commented [ND20]: uel simus *add. super lin.*

Commented [ND21]: hoc *add. super lin.*

Commented [ND22]: hoc *add. super lin.*

Commented [ND23]: hoc *add. super lin.*

hic dimitemus hoc, **multam** inuitae huius negotiis munificentiam ostendere. Horum enim singulum, sufficiens est et secundum seipsum nos condemnare. Cum autem simul omnia conuenerint, quae erit nobis salutis spes? Vt igitur hanc omnem condemnationem, effugiamus, demonstremus **quandam** copiositatem circa indigentes. Ita enim et his quae hic, et his quae illic uniuersis potiemur bonis, quibus fiat omnes nos frui, gratia et filantropia, id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cum quo patri gloria, imperium, honor, simul cum sancto et optimo spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum amen.

Commented [ND24]: hoc *add. super lin.*

Commented [ND25]: aliquam *add. super lin.*